

gorium VII. dictum, magnanimum illum, verèque sanctum Pontificem, quem Religionis orthodoxæ ac Sacerdotii hostes per immanem calumniam *inferni titionem* appellant, æquales illorum temporum, Bennone & Sigeberto, unòque aut altero ejusdem farinae excepto, maximis omnes laudibus efferunt. Utque Scriptores alios complures, sanctitate etiam & miraculis conspicuos, taceam, Lambertus Schafnaburgensis sanctum hunc Pontificem sic vindicat: *Apud omnes sanum aliquid sapientes luce clariùs constabat, falsa esse, quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie, tamque Apostolicè vitam instituebat, ut nec minimam sinistrae rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret. Signa etiam, & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventissimus pro DEO & Ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Idem porrò Lambertus refert, quo pacto S. Gregorius VII. postquam Canusii Henricum IV. anathematis vinculo solvisset, sacris exinde operatus, sacrosanctæ Hostiæ partem, ad innocentiam suam Cæsari, omnibusque adstantibus probandam, gravissimas inter contestationes sumpserit, hortatusque sit Imperatorem ad residuam SS. Hostiæ partem pari cum contestatione sumendam; qui tamen, utpote non unius sibi sceleris conscius, horrendi hujus examinis aleam subire neutiquam est ausus.